Prateoli in Elencho Hæres. fides Dubium enim non est, multis à multis hunc errorem impactum esse, qui tamen illum nunquam agnoverunt. A *Clemente Alexandrino* dictus error tribuitur *Aristoteli*, sed notante *Klozio in Pneum. p.* 388. immeritò. *Cardinalis Contarenus lib.* 5. *Compend. primæ Philosophiæ sub finem* istum eundem errorem *Averroi* improperare nullus omninò dubitat, quem tamen *Thomas l.* 1. *contra Gent. c.* 27. falsitatis arguit; idemq; *Thomas* hunc errorem *Zabis* tribuisse & improbasse *Averroem*, d.l. autor est; Sed à diverticulo in semitam: creaturarum longè alia ratio est; Earundem enim nulla immediatum actionum suarum Principium est; sed per potentias naturales, quæ qualitates atque ob id accidentia verè & propriè dicta essentiisque superaddita sunt, singulæ ad suas operationes determinantur: Ratio rei difficultate non destituitur; quod *Francisc. Suarez. Iesuita ipse, quamvis Thomæ* (*in* 1. *part. q.* 54. *art.* 3. *& q* 77. *art.* 1.) *ac Thomistarum Cajetani, Capreoli* (*in* 1. *dist.* 3 *q.* 4. *Scoti* (*in Logic. c. de propr. q.* 2.) *Aegidii* (*Quodl.* 3. *q.* 10.) *Hervæi* (*quod lib.* 1. *q.* 9.) *contra scotistas* hac in causa Patronus non diffitetur, quin demonstrari non posse persuasus est, cùm non excedat perfectionem substantiæ creatæ, esse proximum principium accidentalis actionis, ob id, quod modus ille operandi non videatur exigere infinitam perfectionem, in genere Entis aut substantiæ: Nihilominus ex inductione probabiliter satis colligi, substantiam creatam ex limitatione sua habere, ut per se non possit esse Principium proximum accidentalis actionis, ob improportionem & distantiam, quæ sit inter tale Principium & talem actionem, ne possint conjungi, nisi per aliquod proportionatum medium, quale sit facultas s. potentia accidentalis. vid. dictus *Iesuita* (*quem tanquam communem in studio metaphysico*